

pyri, & sic lecta ibidem & publicata, Rege tribus regnis, Primogenito, & aliis quampluribus nobilibus ac dicti populi multitudine, & me, præsentibus. Qua publice facta, dictus F. Vincentius dixit ista verba, videlicet: Dominus Rex credit firmiter, quod hodie & ista hora, Domini Reges Castellæ & Navarræ similem fecerint publicationem subtractionis. Quia misit eis nuncios suos ad deprecandum eos, quod ita facere vellent. Et tunc idem F. Vincentius venit ad conclusionem suæ prædicationis, sic dicendo: *Bona gentes, sicut tres Reges tali die, sicut est hodie, obtulerunt Domino nostro Jesu Christo munera pretiosa: Sic isti tres Domini Reges, videlicet Castella Arragonum & Navarra, hodie fecerunt istam oblationem Deo & sanctæ matri Ecclesiæ, pro ejus sancta unione.* Scriptum Narbonæ, 12. Jan. Literas subtractionis factæ per Reges Castella & Navarra, listet Tomus IV.

## TOMI II. PARS XIX.

JOHANNIS GERSONIS  
Demonstratio in Constantiensi Concilio publice facta,  
PETRUM de LUNA

aliàs BENEDICTUM XIII.

esse hæreticum, &amp; Papali dignitate exuendum.

Quod & postea solennissime in Constantiensi hoc Concilio factum,  
ut ex Actis Tomo IV. constabit.

## CAP. I.

## ARTICULI GENERALES

*De Unitate, potestate & autoritate Ecclesiæ, deq; hæresi & schismate.*

## I. Artic.

**P**rimò constat, quod iste est articulus fidei: *Quod est una, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesiæ.*

II. Artic. Item quod hæc unitas Ecclesiæ non sic dependet à persona Papæ essentialiter, quin possit manere una, & maneret de facto, quando nullus est Papa in Ecclesiâ.

III. Artic. Item quamvis unitas Ecclesiastica essentialis sit ad primarium caput Christum; Nihilominus unitas altera accidentaliter vel secundaria consistit in obedientiâ ad unum summum Pontificem, qui est caput secundarium in Ecclesiâ cum Christo. Sic videlicet, quod quilibet Catholicus debet habere promptitudinem seu præparationem animi ad obediendum uni summo Pontifici, dum constiterit sibi aut constare debuerit, quod sit Papa aliquis legitimè electus. Et ultra secundo requiritur, quod non ponat scienter impedimentum, commissivè vel omisivè, ne præficiatur Ecclesiæ Dei unus Papa certus & legitimè electus. Ideo etiam condemnatus est

inter cæteras causas Johannes Hus: Quia dicebat, quod Ecclesiæ Dei usque ad consummationem seculi poterat æquè bene regi per sacerdotes dispersos per mundum absque uno capite, sicut cum tali capite. Unde, sicut dicunt Theologi, quod Sacramentum confirmationis est Sacramentum necessitatis, non quidem simpliciter, cum sine illo staret salus, sed sic quod obligatur quilibet ad non contemnendum susceptionem hujus Sacramenti pro tempore & loco opportunis: Ita proportionaliter de unione vel adhesionem ad unicum Papam potest intelligi. Sicut etiam dici solet apud Theologos, quod præceptum affirmativum, quale est de habendo Papam, obligat ad semper non pro semper. Item quod culpabilis in priori articulo, primo modo vel secundo, verè dicitur fautor & nutritor schismatis, imò schismaticus, si jungat pertinaciam, id est, si non velit corrigi. Quamvis staret, quod ex hoc solo non esset hæreticus, si faceret hoc non ex errore intel-

intellectus, sed ex depravatione affectus. Quamvis apud Ecclesiam habendus esset ille vel hereticus, vel de hæresi vehementer suspectus.

*IV. Artic.* Item quod Ecclesia, sic instituta est à Christo perfectò legislatore, quod potest se continuare & de facto continuabit in unitate, usque ad consummationem seculi. Et hoc intelligendo nedum de primariâ & essentiali unione, quæ est ad Christum, sed de accidentali & secundariâ ad summum Pontificem, sic, quod potest & poterit sibi instituere caput unum secundarium, quod dicitur Papa. Et quicumque impedit scienter commissivè vel omisivè talem unitatem Ecclesiæ, agit contra articulum jam dictum: *Unam, sanctam, Catholicam* &c. Etiam ubi videtur stare cum prima unitate ad Christum. Inde patet, quod aliquis existens Papa legitime electus potest effici schismaticus, si det impedimentum scienter commissivè, quod tota Ecclesia non obediat uni summo Pontifici. Dum exempli gratiâ Papa non potest reducere majorem partem Christianitatis ad obediendum uni capiti, nisi cesserit & alter constitutur, ipse verò hoc pertinaciter renuit facere, aut in aliquo multiplici casu tali. Simile diceretur de inobedientibus verò Papæ, quod possint esse Schismatici. Et alii, qui non obediunt, sed parati sunt obedire modo prædicto, & apponunt diligentiam suam, quod uniatur Ecclesia, sunt immunes à schismate.

*V. Artic.* Item si probetur de aliquo, quod circa præmissa sit hereticus, hoc est juxta verba Augustini, quod fingat sibi novum errorem vel antiquum sequatur, gloriæ suæ vel principatus sui causa, probabitur consequenter manifestissimè, quod tulus est nedum fautor schismatis, sed verè schismaticus. Et ideo sufficiat in sequentibus coartare sermonem ad hæresin, quoniam ex isto sufficienter concludetur schisma.

*VI. Artic.* Item quod dum nullus est Papa, vel dum lapsus est in hæresin manifestam & jam damnatam, vel dum consentire non potest, quod Ecclesia congregetur, quia scilicet effectus est Tom. II. Pars XIX.

amens & insanus incurabiliter, vel incarceratus est taliter, quod haberi non potest accessus ad eum, etiamsi necessitas vel evidens utilitas immineat, potest se congregare sicut Papa. Et idem dicendum est, ubi Papa sufficienter summatus & requisitus pro congregando Ecclesiam ad uniendum eam in fide & moribus, vel ad constituendum sibi Papam certum, nollet contumaciter eam convocare.

*VII. Artic.* Item iste articulus sequitur ex prioribus, ut ex negatione ejus sequeretur, quod Ecclesia non fuisset à Christo perfectè instituta pro sui conservatione & unitate legitimâ in membris suis in fide & moribus, & ad unum caput secundarium verum & certum. Quod apertissimè est contra Apostolum ad Ephesios 4. & alibi multis locis, & Hosea primo.

*VIII. Artic.* Item Ecclesia dicitur Catholica, id est, universalis & Apostolica, quoniam omnis homo generaliter obligatur adherere firmiter illis veritatibus, quas eadè Ecclesia tenet, docet & prædicat. Quæ veritates sunt sufficienter in sacrâ Scripturâ contenta, præsertim in Evangelio, vel ex contentis in sacrâ Scripturâ & clarè deducuntur, vel per Apostolorum doctrinâ successivè deductæ sunt de generatione in generationem usque ad nos per observationem legitimam. Unde dicitur Ecclesia Apostolica, quoniam in Apostolorum doctrinam fundata est, tam verbis quàm scriptis.

*IX. Artic.* Item dum est data in Evangelio per Christum aliqua regula generalis observanda, illa obligat omnem hominem habentem usum rationis. Nisi de exceptione alicujus hominis constiterit per eandem legem Evangelicam, & non solum per humanam traditionem vel exceptionem. Quoniam inferioris lex derogare non potest superioris auctoritati.

*X. Artic.* Item quod hæc est lex Evangelica generaliter promulgata Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum

verbum. *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſia, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Sequitur continuo: *Amen dico vobis, quacunq; alligaveritis ſuper terram, &c.* Ubi fundatur poteſtas ſupernaturalis Eccleſie ultra naturalem.

*XI. Artic.* Item quod ad prædictum articulum corroborandum ex aliis ſacræ ſcripturæ paſſibus poſſent induci variæ leges, quæ ſunt de jure propriè divino & expreſſo, imò & jure propriè naturali, præſuppoſito divino. Ut de abjiciendo partem corporis ſcandalifantem totum corpus, ſive ſit pes, ſive manus, ſive oculus, *Matth. 18.* Et ita de reliquis. Sed ſufficit ad deducendum propoſitum hæc unica lex prædicta: *Si peccaverit.* Et forte diceret hic aliquis, quod quicquid ſit de membris abjiciendis aut recidendis, caput tamen non poteſt abjici vitâ manente: Reſpondeo, quod ſimilitudo corporis veri & myſtici non eſt hic uſquequaque eadem. Quoniam ſine capite naturali corpus non poteſt vivere, ſed *ſine capite ſecundario corpus myſticum poteſt habere vitam*, ſicut in caſu noſtro patet de *Papa*, quo remoto vel abſciſſo ſtat unitas & vita in corpore myſtico Eccleſiæ, & hoc in virtute capitis eſſentialis & primi, quod eſt Chriſtus.

*XII. Artic.* Item ſicut *ſummus Pontifex*, quantumcunq; legitimè fuerit electus, eſt *ſilius Eccleſiæ*; ſic dici poteſt & debet *frater uniuuſcujuſque hominis de Eccleſiâ.* Unde & ad hoc ſignificandum dedit nobis Chriſtus hanc formam orandi; *Pater noſter &c.* Si unum ergo habemus Patrem in cælis, ſi unam matrem Eccleſiam in terris, conſtat, quod *omnes mutuò ſumus fratres.* Et oppoſitum ſentire vel dicere de *Papâ*, eſſet apertiffima dementia.

*XIII. Artic.* Item quod *Papa*, quantumcunq; legitimè electus, *poteſt peccare.* Quia non eſt impeccabilis ex adſumptione papalis dignitatis. Oppoſitum dicere, niſi conſtaret de aliquo per divinam revelationem, eſſet intolerabiliter ſuperbire, & contra teſtimonium experientiæ, præſentis & præteritæ.

*XIV. Artic.* Item prædicta lex: *Si pec-*

*caverit*, quamvis data fuerit pro regimine totius Eccleſiæ & filiorum ſuorum; Nihilominus appropriatè data eſt perſonæ Petri, qui erat futurus ſummus paſtor; ſicut promiſſum fuerat *Matth. 16.* & executioni demandatum *Joh. 21.*

*XV. Artic.* Item, quod Chriſtus in prædictâ lege: *ſi peccaverit &c.* non accipiebat Eccleſiam, quando dixit, *Dic Eccleſiæ*, pro ipſo *Petro* vel pro ſucceſſoribus ſuis ſummis Pontificibus. Patet, quia Petrus non dixiſſet ſibi ipſi, quando frater ſuus noluiſſet obedire monitioni ſuæ ſeu fraternæ correctioni. Intelligebat ergo de *Eccleſiâ*, quæ eſt *congregatio fidelium*, præſertim quando frater, qui peccabat, & nolebat corrigi, fuiſſet talis, quod non habuiſſet prælatum ſupra ſe, ſicut eſt *Papa*, qui tamen ſubjectus eſt legi prædictæ, ſicut ipſe eſt *frater peccabilis.*

*XVI. Artic.* Item Chriſtus dicendo in prædictâ lege: *Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, docet manifeſtè, quod etiam *habet auctoritatem judiciariam.* Alioquin ſi non audiretur, non eſſet contumacia vel peccatum. Et patet aliunde per illud: *Qui vos audit, me audit &c.* & iterum: *Quacunq; alligaveritis ſuper terram, &c.* Sic ſubjungitur ſtatim poſt prædictam legem: *ſi peccaverit.*

*XVII. Artic.* Item quod omnis, qui poteſt & debet licitè puniri judicialiter, poteſt etiam licitè evocari ad iudicium, etiam per adpellationem, aut provocationem, aut citationem, pro ut viſum fuerit expediens judici, vel illis, qui ad iudicium acculare volunt fratrem delinquentem. Præſertim ubi non apparet pro tunc modus convenientior procedendi contra reum & peccatorem fratrem.

*XVIII. Artic.* Item quod nulla conſtitutio humana potuit aut poteſt præjudicare legi prædictæ: *ſi peccaverit &c.* cum ſit de jure purè divino & de jure propriè naturali, præſuppoſito divino.

*XIX. Artic.* Item quod conſtitutiones, quæ dicunt, quod *Papa poteſt deponi*, ſi labatur in hæreſin, non ſunt cenſendæ conſtitutiones purè humanæ vel poſitivæ

tivæ aliquorum summorum Pontificum vel alterius. Patet, quia tunc non ligarent Papam, quia par in parem non habet imperium.

*XX. Artic.* Item, quod fundantur hæc constitutiones principaliter in prædictâ lege: *Si peccaverit*, & in aliis juribus conformibus, sicut prædictum est *Articulo Undecimo*.

*XXI. Artic.* Item, quod sicut hæc constitutio Christi: *Si peccaverit* &c. non specificat vel restringit de solo peccato hæresis, sed est generaliter de quolibet peccati genere, quod potest deduci in publicum. Sic quodlibet peccatum Papa, publicum seu notorium, potest denunciari Ecclesie, si fraternaliter Papa monitus nolit audire monentem neque testes inductos. Nisi daretur ex lege propriè divinâ, quod aliquod peccatum Christus isthic excluderet: Quod utique fieri non poterit.

*XXII. Artic.* Item, quicumque cujuscunque status fuerit, qui scripserit vel asseruerit, quod Papa non possit pro alio crimine accusari coram Ecclesiâ quàm pro hæresi, ille negandus est simpliciter, tanquam contradicens textui Evangelico. Vel reverenter glossandus est, si non appareat, quod fuerit in hæc adfertione pertinax, & si in aliis bene sensit. Simile dicitur de scripturis, quæ sonare videntur, quod Papa non habeat superiorè judicem in terris, & quod ab eo nunquam licuit, neque licet adpellare, & ita de similibus, quæ si excludunt auctoritatem generalis concilii, sunt hæreses manifestæ. Sed non est leviter præsumendum, quod alii Doctores sic senserint generaliter absq; omni exceptione, possibili occasione vel colore.

*XXIII. Artic.* Item, quod glossa, quæ dicit, quod pro alio crimine quàm pro hæresi potest Papa accusari vel deponi, non habet auctoritatem vel robur tanquam ab uno glossatore vel homine, sed à Christo immediatè & expressè. Alioquin non faceret fidem, sicut prædictum est in altero articulo, quod par in parem, & unus inferior in superiorem non habet judicium.

*XXIV. Artic.* Item, quod de jure divino & naturali est propria defensio sui  
Tom. II, Pars XIX

ipsum, dum læditur, dum tamen hoc faciat per media non prohibita in lege divinâ & naturali.

*XXV. Artic.* Item, quod stare potest in facto, quod aliquis molestatus à Papa, etiam vero & legitimo, non possit habere sufficientem defensionem, nisi provocet vel adpellat à Papa ad judicium Ecclesie, & nisi subtrahat se ab eo, sic quod ejus mandatis non obediat, quæ mandata vel obedientia tollerent læso justam defensionem sui ipsius vel suorum: Ut esset tuitio proprii patris vel matris, aut patriæ suæ, imo & totius Catholicæ veritatis aut unitatis Ecclesie. Sicut apparuit in subtractionibus multis legitimè factis tempore nostro & per prius.

*XXVI. Artic.* Item, sicut aliàs prædictum est coram hoc sacro Concilio, potest haberi multiplex occasio, & quæsitus color ad hoc, quod possit & debeat per Ecclesiam seu concilium generale vice sua dari libellus repudii vero Papa, quandoque sine culpa Papa, licet non sine causa, quandoque cum culpa Papa, etiam aliâ quàm sit hæresis. Et numerati sunt colores vel occasiones duodecim: Quemadmodum viceversa summus Pontifex potest dare libellum repudii Ecclesie, sicut patuit in Cælestino cedente. Uxor autem & vir non videntur hic ad imparia judicari.

*XXVII. Artic.* Item quod prædicti omnes & singuli Articuli sunt per hoc sacrum Concilium Constantiense solemniter & judicialiter declarati, & multipliciter prædicati, tam in ejectione olim Johannis Vicesimi tertii, quàm in constitutionibus & decretis factis super auctoritate generalis concilii, præsertim 6. Aprilis anno 1415. Vid. in A. & novissimè in decreto facto, quod estis Tomo præfensa constitutio Petri de Luna non IV. præjudicet subtractioni factæ sibi in Aragonia &c.

*XXVIII. Art.* Item quod docens vel asserens nunc oppositum alicujus articulorum præmissorum cadit in hæresin jam damnatam, & adferit expressè contra prædictam legem Evangelicam: *Si peccaverit* &c. & contra articulum istum: *Unam sanctam Catholicam* &c. & contra determinatam expressè per hoc sa-

crum concilium, sicut prædictum est.

XXIX. Artic. Item quod Prælati Ecclesiastici, etiam Papa, determinans judicialiter, aut per modum constitutionis perpetuæ & pœnalis, oppositum præmissorum Articulorum, non potuit aut potest à pertinacia quomodolibet excusari. Tum quia demonstrat, quod non quærit tota sollicitudine veritatē, dum eam scienter impugnat & ad impugandum omnes alios inducit, quantum in se est, per excommunicationes & alias pœnas gravissimas: Tum vitiosus in casu præsentis, quia non ostendit se paratum corrigi, dum regulam sui

correctricem negat & impugnat, scilicet auctoritatem Ecclesiæ vel generalis Concilii vice sua.

XXX. Artic. Item quod nullæ protestationes factæ in oppositum relevant talem assertorem, vel determinatorem, quo minus debeat in errore suo pertinax judicari. Quia cum talibus protestationibus generalibus, de volendo stare in fide Ecclesiæ, &c. stat de facto particularis erroris assertio. Sicut posset latius deduci, ita per rationes quam exempla priorum hæreticorum & etiam modernorum, dum factum repugnat protestationi.

## CAP. II.

## ARTICULI SPECIALES

## De pertinacia &amp; hæresi Petri de Luna, hujusque vanis protestationibus contra citationem Constantiensi Concilio factam.

## I. Artic.

ET primò notandum est, quod Petrus de Luna dudum fecit quandam prætentam constitutionem, & eam pluries solenniter publicavit & publicari fecit, imò & prædicavit, quantum in se fuit, tam contra Christianissimum Regem Franciæ, ante Concilium Pisanum, quam novissimè contra Illustrissimum Regem Arragoniæ, & generaliter contra

Vid. in A-  
ctis, Tomo  
IV.

omnes, qui sunt in hoc sacro Constantiensi Concilio, sicut patet ex sua responsione ad citationem. Quæ prætentâ constitutio incepit: In dierum successu crescente malitia &c. Datum Masilia 14. Calend. Junii, anno 13. Pontificatus nostri, ita quod sunt decem anni vel circiter.

II. Artic. Item, quod in prætentâ constitutione ponitur in forma talis clausula inter cæteras: Omnes &c. qui à nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus adpellare præsumserint, seu à nostra seu ipsorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium obedientia recesserint, ac se subtraxerint, vel in præmissâ subtractione aut adpellatione perseveraverint seu persistierint, seu eis in præmissis impedimentis, seu adpellationibus, subtractionibus vel provocationibus scienter per se vel per alium, vel alios quavis occasione seu quavis colore dederint auxilium, consilium, vel favorem, & qui pertinaciter asseruerint, illos, qui præ-

missa committunt per nostras sententias non ligari, cujuscumque status, gradus, dignitatis existant vel conditionis, etiamsi Cardinalatum, Patriarchali, Archiepiscopali, regali, imperiali, vel aliâ quavis Ecclesiasticâ vel mundanâ præfulgeant dignitate, ex nunc auctoritate apposita excommunicationis sententiam promulgamus, à quâ nullus præterquam à Romanis Pontificibus, nisi dumtaxat in mortis articulo, poterit beneficium absolutionis obtinere &c. Et adduntur pœne depositionis.

III. Artic. Item, quod dicta clausula, sicut patet ex formâ suâ, est generaliter absq. omni exceptione posita, tam de Petro de Luna, quam de quocumque legitimo successore suo, sive labatur aliquis eorum in hæresin, sive in aliud peccatum quodlibet, quantumcunque enorme. Quia dicit, quavis occasione seu quavis colore &c. Et quia si voluisset aliquam exceptionem fuisse, illam explicasset. Sed quia videbat exceptionem redundare potuisse contra seipsum, propterea nullam apposuit, vel apponendam judicavit.

IV. Artic. Item, quod Petrus de Luna in suis responsionibus datis ad citationem contra eum factam dat aperte intelligi, quod vult praticare dictam prætentam constitutionem, & tenet firmiter, quod habuit & habet robur & vim suam contra omnes & singulos, qui sunt in hoc sacro

sacro Constantiensi Concilio. Quia sic dicit in formâ:

Protestandum tamen, quod per quacunq; facta vel facienda dicta seu dicenda sub quacunq; formâ non intendit dictam congregationem aut ejus prætensam citationem comprobare, nec ipsam citationem quomodolibet exaudire, aut in quemcunq; seu qualemcunq; vigore tanquam à notorie nullam potestatem habentibus emanatam quomodo tribuere seu prestare: imo ipsam & alia quacunq; facta seu facienda ordinata seu ordinanda contra ipsum & Romanam Ecclesiam, cum sint de facto præsumpta per eos, pronuntiavit, decrevit, & declaravit, pronuntiat, decernit, & declarat cassa, nulla & irrita ipso jure, ut de his etiam solenniter est protestatus.

Postremò cum in prætensâ citatione contineatur, quod convenientes in unum canonicè convocati & representantes ipsam universalem Ecclesiam decreverunt &c. Respondet idem Dominus noster Papa, quod prædicti congregati in Constantia non sunt generalis synodus, nec universalem Ecclesiam representant, cum sint excommunicati, & omnibus Ecclesiasticis dignitatibus, gradibus, & auctoritatibus, & jurisdictione privati, & per consequens nullas partes potuerunt adsumere, nec possunt, sicut nec etiam jurisdictionem aliquam exercere, præcipue cum minor in majorem, & præmaximè in Papam, quem nec juris auctoritas, nec rationis debitum, nec alicujus obligationis necessitas ad hoc ardeant, actum impiosum exercere non possit.

Ecce temeritatem & pertinaciam adversus hoc sacrum Concilium, & adversus omnes indifferenter, qui sibi non obediunt. Unde & reputat solam Ecclesiam esse apud se & solum Concilium generale, & quod Cathedra sua est arca Noë, sicut dixit: Verbo dans intelligi, quod nullus extra hanc arcam salvabitur. Et ita de plurimis.

*V. Articulus.* Item quod hæc prætensa constitutio, de directo & expressè repugnat omnibus & singulis prioribus Articulis, qui elucidant hanc legem Evangelicam, Si peccaverit, & qui fundantur in hac lege cum suis similibus. Et hoc notorium est ex terminis.

*VI. Articulus.* Item, quod Petrus de Luna non excusatur vel relevatur ab hæresi prædictâ & pertinaciâ per generales protestationes, quas facit, quæ sic habentur in formâ:

Dicit ac etiam profitetur, quod in veritate fidei & unitate Catholica Eccl. semper fuit & est, semperq; se fuisse & permanisse firmiter credit, nec ab illis unquâ modo aliquo devium, sicut nec deviare intendit, nec favorem schismati vel hæresi aliquo modo dedit, sicut nec dare intendit, imo semper tenuit & tenet firmiterq; credidit & credit, quod sancta Romana & Catholica ecclesia tenuit & tenet profitetur & docet, nec aliquid à prædictis devium dicere, facere, scribere, docere, tenere, seu credere intendit in posterum, gratia eadem divina assistente, nilq; pertinaciter seu incorrigibiliter dixisse seu dicere voluit nec intendit. Sed omnia præterita, præsentia & futura, quacunq; dicta & dicenda, facta & facienda, scripta & scribenda, credita & credenda, docta & docenda, subjicit subjunctaq; esse voluit correctioni & determinationi Catholica Ecclesia sacrosancta. Et si contra præmissa vel aliquid præmissorum dixerit, scripserit, aut fecerit quovismodo quod non credit, paratus est semper stare correctioni dicta sancta matris Ecclesia, in cujus unitate vivere intendit, atque mori, sicut catholicus & fidelis, & facere & complere ea, ad qua adstringitur in præmissis & quolibet præmissorum. Constat enim, quod cum his protestationibus remaneret particularis error suus non purgatus.

*VII. Articulus.* Item, si nunc prædictus Petrus de Luna vellet à prædictâ hæresi sua reverti & redire ad gremium Ecclesie, ipsa posset non claudere sibi gremium, dando indulgentiam de scelere, sed non deberet ipsum impunitum relinquere, vel in Papatu prætense retinere, etiam ubi fuisset aliunde Papa legitimus.

*VIII. Articulus.* Item, quod si mittat nuncios suos, videtur quod in primis & ante omnia proponendi sunt ipsis præcedentes Articuli, ut respondeant sigillatim ad quemlibet. Quoniam per hoc fiet abbreviatio aliorum processuum Juridicorum, qui versarentur in his quæ sunt facti. Quoniam per prædictos articulos potest veraciter uno verbo dici ipsi Petro de Luna; Ex ore tuo te iudico

dico fuisse nequam. Imò videtur, quod nuncii, si mittantur, erunt interrogandi super præmissis, nedum pro nomine seu vice Petri de Luna, sed etiam pro se ipsis, ut videatur quid sentiant super eisdem articulis, ut si male, habeant & ipsi malè juxta demeritum & errorem, si bene, condemnabitur eorum magister ex eorum confessione catholica & vera.

*Articulatio præactæ constitutionis Petri de Luna potest fieri contra ipsum sub tribus propositionibus sequentibus, cum probatione summaria & aliarum quarundam additione conclusionum.*

Hæc constitutio Petri de Luna est hæreticalis, quæ incipit. *In dierum &c.*

Hæc constitutio cum suis circumstantiis reddit Petrum de Luna proprie schismaticum, temerarium, scandalosum atque sacrilegum.

Probatur prima conclusio sic. *Constitutio illa est hæreticalis, quæ directè & expressè præjudicat & contrariatur legi Evangelicæ, de correctione fraterna, & de correctione judiciali per auctoritatem Ecclesiæ, si fraterna non satisfecerit, quæ habetur Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus &c.* Sed hæc constitutio Petri de Luna est hujusmodi, igitur est hæreticalis.

Deducitur major per descriptionem hæresis, quod est dogma perversum fidei catholica contrarium. Constat autem quod Evangelium est fides orthodoxa objective, sicut dicitur in Symbolo: *Hæc est fides catholica &c.*

Sed minor, in quo stat difficultas, deducitur sic: Lex prædicta de correctione fraterna & judiciali aut comprehendit Petrum de Luna & suos successores, quos reputat summos Pontifices futuros legitimè, vel non comprehendit. Non potest dici secundum: Quoniam lex fertur generaliter de omni fratre, dum peccaverit tali peccato, quod potest deduci in publicum. Constat autem, quod quilibet Christianus est frater noster, etiamsi fuerit Papa. Quia propter hoc non desinit dicere, Pater noster. Si igitur est pater noster, nos pariter sumus fratres. Si verò detur primum, sicut dari necesse est, quod scilicet Papa comprehendit

tur sub lege hac Evangelica & immutabili, quæ consonat etiam juri proprie naturali; Sequitur ergo, quod si peccaverit in nos, etiam frater noster debet fraternaliter corripitur juxta regulam generaliter ita positam: quod si noluerit audire, adhibendi sunt testes, quod si audire noluerit, denunciandus est Ecclesiæ, quam si contemserit, habendus est tanquam ethnicus & publicanus, id est, excommunicatus, & extra Ecclesiam positus.

Sequitur ergo consequenter, quod *Ecclesia est iudex Papæ, dum peccaverit peccato publico & Ecclesiæ denunciato. Et potest Ecclesia talem Papam excommunicare & ejicere à consortio, multiplicitate occasione, & multiplicitate quæsito colore.*

Constat autem, quod ab inferiori ad superiorem legitimum potest fieri appellatio, seu provocatio, seu deductio in causam, seu judicialis citatio & evocatio, nunc ad denunciationem alterius, nunc ex puro iudicis officio. Sed manifestum est, quod hæc constitutio tollit omnia ista media, dum fert generalem excommunicationis sententiam & pœnas depositionis in omnes, qui quacunqve occasione vel quocunqve quæsito colore præsumerint à persona Petri de Luna vel à quocunqve successore seu appellare, seu provocare, vel ab obedientia se subtrahere, id quod utique repugnat & contradicit manifestissimè huic legi Evangelicæ, prout modo deductum est.

Probatur Secunda Conclusio faciliter ex præcedenti. Ille enim proprie dicitur hæreticus, qui pertinaciter adferit imò determinat hæresin. Sed Petrus de Luna pertinaciter ita facit. Est enim pertinax, qui non est paratus corrigi, & qui non quærit totâ sollicitudine veritatem, sed impugnat, & ad impugnandum omnes inducit sub pœnis terribilibus, quantum in ipso est. Sic est in proposito. Addendo maxime, quod hic impugnatur regula veritatis de directo, per quam errans frater habet corrigi. Quæ regula est *Auctoritas & potestas judicialis ipsius Ecclesiæ vel Concilii generalis vice suâ.* Unde tollit, quantum in ipso est, omnia media, per quæ debet

debet errans ad viam & regulam reduci veritatis. Possent addi circumstantiæ quasi sine numero, quæ probant hanc pertinaciam in Petro de Luna respectu constitutionis hujusmodi & aliorum errorum multiplicium & scandalosissimorum. Sed hæc pro nunc sufficiunt, attento, quod tam erga Regem Franciæ quam erga Regem Arragoniæ voluit praticare constitutionem istam hæreticalem atque pestiferam, imò & in omnes existentes in hoc Concilio, sicut patet in responsione suâ ad citationem.

Probatur *Tertia Conclusio*, considerando materiam, circa quam est hæresis prædicta, quæ de necessitate infert peccatum schismatis. Quoniã tendit ad impossibilitandum reunionem Ecclesiæ sub uno certo pastore supremo, quia tollit medium convenientissimum imò necessarium, scilicet auctoritatem judicalem Ecclesiæ seu Concilii generalis vice suâ, prohibet Ecclesiam congregari &c. & dum removet omnem Papam à subjectione auctoritatis judicialis Ecclesiæ.

Confirmantur omnia prædicta per

constitutiones hujus sacri Concilii factas & publicatas pluries. Confirmantur etiam per subtractiones licitas illorum Principum, qui se subtraxerunt.

Oportet etiam concedere præmissas tres conclusiones, vel dicere, quod hoc Concilium generale erravit faciendo quæstiones tales, & in approbando novissimè subtractionem Dominorum Arragonensium. Absit autem hoc à nobis ita delirare.

Et, si dicatur, quod multa jura Canonica, multæ constitutiones Papales, & aliæ videntur sonare pro constitutione Petri de Luna: Respondetur, quod illa jura sunt reverenter glossanda, & interpretanda conformiter ad invariabilem legem Christi. Aut si vult aliquis illa tenere in suis terminis protervè & rigidè, nos cum omni libertate talia scripta negabimus esse vera, & per consequens nec jura Canonica. Quoniam nullum jus esse censendum est, quod divina legi convincitur contraire. Addatur & hic clausula quæstionis, quæ ponitur supra *Articulo Secundo, in secundis Articulis: Omnes &c. qui a nobis &c. supra.*

### CAP. III.

#### De variis Erroribus Petri de Luna.

EXcerpta de articulis contra Petrum de Luna in processu productis.

Primò in tractatu, quem fecit, aut fieri fecit, & ab aliis factum adprobavit, & ratum habuit, intitulo de schismate, ponit conclusionem sequentem: *Et ponitur conclusio sequens: Nulli convenit potestati, nec divina, nec humana, quod quid sit intra unum locum & extra eundem. Dictamque conclusionem pertinaciter adseruit & sustinuit, quæ hæretica est contra Sacram Scripturam & divinam potentiam: Cum Deus sit intra & extra eundem locum. Et hoc est notorium.*

Item quod dixit, scripsit vel scribi fecit & adseruit idem Dominus Petrus, vocatus ut præmittitur, Benedictus: *Quod si ivisset ad Pisanum Concilium vel ivisset ad illud, ad cedendum Papatui ut aliqui sibi consuluerunt, & consulebant, jam non essent claves in Ecclesia, nisi Deus incarnatus fuisset, & claves de novo dedisset. Et hoc est notorium.*

Item in tractatu, quem fecit, aut fieri

fecit, & factum adprobavit, & ratum habuit, contra Pisanum Concilium, qui incipit: *Quia nonnulli, in quarta parte, via tertia, & subsequenti, & alibi in dicto tractatu dixit, adseruit, & pertinaciter sustinuit, quod, stante dubio hujus schismatis, illi qui non possunt certificare de veritate & justitia alterius contendentium de Papatu primo electorum, obediendo Papa Benedicto Tertiodecimo, scilicet sibi, quoad eum in conscientia sunt & essent securi. Et hoc est notorium.*

Item dicunt & proponunt dicti prosecutores & ministri, quod idem Papa, vocatus, ut præmittitur, Benedictus, post præmissum per eos præsumptum Perpinianum Concilium dixit & adseruit pertinaciter & constanter: *Quod si totus mundus diceret sibi, quod cederet Papatui, & sibi videretur, quod non sequeretur inde unio Ecclesiæ, aut videretur sibi, quod ipse non deberet cedere, ipse non cederet. Et si totus mundus diceret sibi, quod non*



non cederet, & ſibi videretur, quod deberet cedere, ipſe cederet. Per hoc ſuum iudicium, imò potius errorem, pertinaciter præferendo omni humano & Eccleſiæ univerſalis iudicio. Quod manifeſtè probat pertinaciam in errore.

Item, quod Chriſtus & Papa ſunt unum caput Eccleſiæ, poſuit in quodam *Tractatu contra decem propoſitiones ſtabilientes Concilium Piſanum.*

Item quod Concilium generale nullo modo & in nullo caſu poteſt celebrari ſine Papa, etiam dum Papa mortuus eſt. Et ita neceſſariò dicendum eſſet, quod in *Conſtantia* poſt adunationem tot obedientiarum & regionum nulum eſt aut fuit generale Concilium. Cujus oppoſitum tanquam Catholicum determinatum eſt & prælicatum in hoc ſacro Concilio.

Et quoniam hoc errore dato ſequetur manifeſtè, quod Eccleſia non fuisset ſufficienter & perſeveranter pro ſui conſervatione inſtituta à Chriſto: Quia denique non apparet modus condemnandi vel ejiendi Papam ſchiſmaticum incorrigibilem & hæreticum contradicentem pertinaciter Eccleſiæ.

Ponuntur conſequenter ad probata de prædictis & aliis articulis *tres concluſiones* ſequentes:

Hæc aſſertio Petri de Luna, quod *Concilium generale non poteſt in aliquo caſu congregari ſine Papa*, eſt hæreſis nunc expreſſe damnata.

Hæc aſſertio Petri de Luna: quod *ſi credidiſſet aliquibus tempore Concilii Piſani, claves hodie non eſſent in Eccleſia*, eſt manifeſtè hæretica, præſuppoſita duratione legis Dei uſque ad conſummationem mundi.

Hæc aſſertio Petri de Luna, quod *Chriſtus & Papa ſunt unum caput Eccleſiæ*, eſt hæreticalis, niſi reducatur ad aliquem ſenſum ſanum ſatis improprium.

Advertendum eſt poſtremò, quod *ſuper materia hæreſis fundatæ ſunt prin-*

cipaliter concluſiones prædictæ ex aſſertionibus Petri de Luna.

*Primo* quoniam & voces & ſcripturæ ſignificant manifeſtius conceptum mentis, juxta dictum Chriſti: *Ex verbis tuis juſtificaberis* &c. Cui conſonat dictum Ariſtotelis: *Quod voces ſunt ſigna earum, quæ in mente ſunt paſſionum.*

*Secundo*, quia convincere, hominem hæreticum eſſe, ex ſolis operibus ſine vocibus, difficillimum eſt, attento, quod hæreſis principalitè conſiſtit in intellectu.

Propter quod *tertiò* dicitur, quod, licet ex prædictis articulis contra *Petrũ de Luna* & ſufficienter in factò probatis poſſit & debeat ſufficienter concludi, contra eundem Petrum de Luna, quod *ipſe eſt notoriè perjurus, notoriè ſchiſmaticus, notoriè ſcandalizans univerſalem Eccleſiam ſanctam Dei*, & per conſequens de hæretica pravitate vehementer notandus & ſuſpectus, præſertim circa hunc articulum: *Unam, ſanctam &c.* Et circa præceptum hoc: *Non perjurabis* &c: Ac perinde, per hujusmodi ſuſpicionem vehementem & ſcandalum notorium datum in materia ſchiſmatis & perjurii & incorrigibilitatem, ſit *ab omni officio Papatus*, vero vel prætenſo, rationabiliter & judicialiter *deponendus*, prout multi ſelenniter ex juribus allegarunt & probaverunt: Nihilominus ex ſolis eiſdem productis & probatis non videtur ſufficienter concludi, quod ſit *hereticus propriè dictus*, niſi confundatur ex propriis aſſertionibus ſuis, conſtitutionibus & reſponſionibus, datis tam verbo quàm ſcripto. Quamobrem ſtudioſius ſcriptum eſt, vel articulatum circa hujusmodi aſſertiones. Attento præcipuè, quod *nonnulli revocant in dubium, an Papa deponi poſſit, vel habeat judicem ſuperiorem in quocunq; crimine, niſi ſit à fide devius, vel hæreticus propriè dictus.*

